

EITELFRITZ COMES DE ZOLLEREN PRIMVS IV-  
dex Camerae Imperialis.



**E**ytelfritz ex illustri familia comitū de Zollern natus, à teneris annis uirtutibus & studijs operam dedit, & in uirum prudentissimum euasit. erat enim foelicissimo ingenio, atq; multis corporis & animi uirtutibus præditus. Itaq; Maximilianus Cæsar eum plurimū dilexit, atq; res maximas expeditre iussit. quas quidem ipse singulari dexteritate perfecit. Hactenus autem Imperiale iudiciū, quod Cameram uocant, Cæsaris aulā secutum erat. Id uero cum partibus (ob Cæsaris uarias expeditiones) esset molestissimum, Maximilianus cōsilio cum principib; inito, illud in certo loco fixum esse uoluit, atq; certos assessores & Iudices ex omnibus Imperij ordinib; in id asciuit. ipse etiā aliquoties præsedidit, atq; supremi Iudicis locum obtinuit. Postea autem hunc Eytelfritz suo loco præsesse iussit, atq; eum primum Camerę summum Iudicem constituit, id quod factum est anno 1495. Eam functionem cum is aliquandiu magna laude peregisset, atq; omnia ordine disposuisset, ad alia negotia expedienda à Cæsare uocatus fuit, atq; ei lacobus Marchio Badensis successit. Hac ratione factum, ut Eytelfritz ob multas animi & corporis uirtutes magnam sibi autoritatem apud Imperij principes conciliarit, atq; tandem multorum luctu mortuus præclarum nomen ad posteros transmiserit. Cam. Imperij.